

In eundem modum A[ndree] illustri regi Vngarie usque: instaurare, te, qui ab olim suscepto crucis signaculo illi militare vovisti, qui pro te in crucis patibulo militavit, rogamus, monemus et hortamur attente, ac per aspersionem sanguinis Iesu Christi nichilominus exhortantes, quatinus taliter preparare te studeas, quod in instanti angusto, 5 quo generale passagium est indictum, valeas deo duce feliciter transfetare, recepturus ex hoc gratiam in presenti et gloriam in futuro. Dictum autem magistrum etc. usque in finem verbis competenter mutatis.

In eundem modum nobili viro langravio Turingie.

378.

10 *Abt Hermann von Corvey bittet den Landgrafen von Thüringen, die Entsendung einiger Nonnen aus dem St. Katharinenkloster zu Eisenach zulassen zu wollen.* **Corvey, 1227 Januar 26.**

Hdschr.: Falke, Sammlung von Urk. 2,137. Landeshauptarchiv Wolfenbüttel.

Gedr.: Martène und Durand, Vet. script. et monum. Collect. 1,1218 (danach Schöltgen und Kreysig, Nachlese 1,562).

Hermannus miseratione divina humilis et indignus abbas monasterii sanctorum 15 martyrum Stephani atque Viti in Corbeia illustri principi et landgravio Doringie Ludovico salutem et benedictionem in domino sempiternam; cum omnibus mee tenuitatis et possibilitatis officiis et devotis precibus in sincera karitate. Cum divina providentia me nullis meis exigentibus meritis ad regimen huius ecclesie provexerit et inter principes imperii collocaverit, iustum ac salutare est, omnia ad illius gloriam constanter dirigere eamque 20 omni meliori modo strenue promovere. Quoniam igitur pia intentione sororibus reformati ordinis nostri communiter Cisterciensibus dictis ob rigidam earum disciplinam etiam in diocesi nostra locum deputavimus, ubi deo famulari possent et de probitate, castitate, modestia et laudabili conversatione sororum apud sanctam Katharinam in Ysenach dominus Winemarum venerabilis abbas in Porta specialia nobis retulerit, habito cum metropolitano 25 nostro consilio et matura facta deliberatione cum toto conventu meo unanimiter conclusum est, ex isto religioso monasterio, quod regali prorsus munificentia et sacro compunctus spiritu parens tuus Hermannus, cuius anima triumphet in pace! in dei et sancte Katharine honorem nuper gloriose fundavit, surculos aliquos vite illibate et bone spei in agrum nostrum transportare, ut a diffuso rigore vite earum odore suavissimo tota vicinia 30 repleatur et eadem dulcedine ad similia pietatis opera in domino inflammetur, que nostra intentio tibi, princeps devote, tanquam singulari pietatis sectatori non potest displicere. Rogo igitur humiliter, ut dimissio et transvectio ista sororum cum consensu, licentia et bona tua venia fiat in pace. Gratus ero cum tota congregatione mea in precibus et sacrificiis nostris apud deum tam in vita quam post discessum tuum. Pax domini sit 35 tecum in eternum. Datum Corbeie ad Wiserah anno domini mcccxxvii, die sancti Polycarpi episcopi et martyris.